

elyti Domini Status et Ordines, et praesertim quidem in novae hujus reincorporationis casu, dictae Civitati quoad administrationem Justitiae subveniendum omnino esse censuerunt, causasque ibidem terminatas, et ab Executione pendentes, ipsis etiam Partibus ita volentibus, quia in Statutum praemissum consentientibus, benignoque Suae Majestatis Sacratissimae Mandato ad praedictam Civitatem emanato, et dispositiones Commissionis Regiae ibidem existentis observandas (intra quas et praemissum ad Tabulam Banalem Apellationis beneficium contineretur) praecipiente id ipsum committente, ad proxime venturam, atque Feria Secunda post Dominicam primam post Epiphaniam Domini Anni ingruentis 1748 hicce Zagrabiae concessuram Tabulam Banalem (nisi interea temporis alia eatenus benigna Suae Majestatis Sacratissimae emanaret Resolutio) deducendas, ibidemque in Revisionem assumendas, et si quae tales fuerint, in Executionem deducendas, idque pro hoc duntaxat casu, ad benignam dictae Civitati quoad ipsas etiam Causarum appellationes Caesareo-Regiam Regulationem decernunt.

Originale in Archivio Regni Croatiae.

1748. MENSE AUGUSTO. ZAGRABIAE.

Articulus Generalis SS. et OO. Regni Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, A. 1748. 5. et sequentibus Mensis Augusti diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.

Articuli Generalis SS. et OO. Regni Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, ex Edicto et sub Praesidio Domini Comitis Ludovici Erdödi de Moniorokerek etc. qua Locumtenentis Banalis A. 1748. 5. et sequentibus Mensis Augusti diebus Zagrabiae celebratae Congregationis.

(Caeteris emissis.)

Articulus Secundus.

De Nova Impositionis Regni Repartitione.

Siquidem tam ordinariarum quam extraordinariarum Regni necessitatum, Novam Dicace et Impositionis Regni instituendam exigenter Repartitionem: ob hoc Inlyti Domini Status et Ordines eandem in hocce Generali suo congressu elaborarunt tenore et formalitate sequenti.

(Caeteris emissis.)

Originale in Archivio Regni Croatiae.
